C Amor

Carmina missa gravis mihi sunt fomenta caloris
totus et accenso pectore sevit amor;
nuper erat risus mihi missi carminis actor
cum veneris tardam sepe rogaret opem
spernebam venerem sevosque cupidinis arcus
non expertus adhuc posse cupido tuum;
indignata venus telo me fixit acuto
vulneris inpaciens sencio quid sit amor
si medicina queat tantum lenire dolorem
sola potes dubie ferre salutis opem;
mellea verba tue nisi fallant dissona menti
Langenti medicum te iuliana dabis
tam dulci precio tibi me firmabis amicum
moribus etate nobilitate parem;
nos ita consimiles ut mutuus uniat ignis
elige me solum qui mihi sola places
et quia nulla domus nostris conspectibus obstat.
aspectu recrees lumina nostra tuo;

misericordias domini

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.4, 4v – Haimo Halberstadensis, Expositio in Pauli epistolas; Ivo Carnotensis, Epistola ad Pontium Cluniacensem; Excerpts from a collection of sententiae from the school of Anselm of Laon; Carmina (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bd8p/5185/49546)